

vens ad hoc ut sit talis actus, et consequenter ut sit, et existat non solum quoad accidentalem ejus bonitatem ex circumstantia finis, sed etiam ut existat quoad bonitatem essentialem ex objecto; ad eam enim etiam movet finis, et actus interior non specificando, sed finalizando, et movendo ut producat actus, ejusque species, et essentia ponatur in esse.

XXX. Ultimum quod ponimus in conclusione est, quod actus exterior si sit finis, et objectum actus interioris, tunc duplici modo comparatur ad ipsum, et ut objectum specificans, et ut effectus causatus in executione ab ipso actu interiori. Quod expresse affirmat D. Thomas in hac quæstione xx, artic. 1 ad primum. Et primum est constans, quia potest voluntas habere pro fine, et objecto ipsum actum exteriorem quem imperat ut supra quæst. 1, art. 1 admittit D. Thomas, et nos explicavimus disp. 1, et D. Thomas dicit in hac quæstione xx, art. 1 ad primum, ut quando peccans habet pro fine ipsum actum quem operatur, verbi gratia adulterari, furari, etc. sicut enim voluntas est libera in assignando, et determinando sibi finem, ita potest illum collocare in exteriori aliqua actione, quam ipse homo postea voluntarie facit, et consequenter imperat. Et in tali casu certum est, quod ille actus exterior considerari, et proponi debet ab intellectu ut objectum et finis appetendus, alias voluntas non diligere illum. Et sub hac ratione antecedit bonitas illius actus ut objectiva, et specificans in apprehensione rationis ipsum actum voluntatis interioris, quia specificari debet ab eo, et causa specificans debet antecedere in intentione ipsum specificatum, et propositio, seu apprehensio objecti in ratione ipsum actum voluntatis. Et sic dicit D.

Thomas solutione illa ad primum, quod actus exterior est objectum voluntatis in quantum proponitur voluntati a ratione ut quoddam bonum apprehensum, et ordinatum per rationem, et sic est prius bonum quam actus voluntatis. Tunc ergo præcedit bonitas actus exterioris non formaliter ut elicit in se, seu executi, sed objective ut proposita, et ordinata per rationem.

XXXI. Addit statim D. Thomas id quod pertinet ad alteram partem hujus ultimi dicti: « Quod si actus exterior consideretur in executione operis, est effectus voluntatis, et sequitur voluntatem. » Manifeste ergo utramque considerationem ponit D. Thomas in actu exteriori, quando accipitur pro fine a voluntate, scilicet et quod sit ejus objectum, et quod sit effectus, et sub prima consideratione antecedit actum interioris voluntatis objective sumptus in apprehensione rationis, quæ objectum proponit: sub secunda autem consideratione subsequitur actum voluntatis tamquam ejus effectus. Et hoc ideo, quia ille actus exterior non est finis voluntatis, seu interioris actus, nisi ut voluntarie faciendus, sicut qui habet pro fine adulterium, vel furtum, actionem illam furandi, vel adulterandi ut voluntarie faciendam vult, sed voluntarie fieri non potest, nisi in executione ipsa a voluntate procedat ut effectus ejus; ergo oportet quod in executione subsequatur voluntatem.

XXXII. Solum potest esse difficultas, quia sic videtur idem esse causam, et effectum sui. Nam actus interior non aliter movet ad exteriorem ut effectum sui, nisi mediante fine voluto, et intento, qui finalizat, et circumstat actum exteriorem eique communicat accidentalem bonitatem, sed finis, seu objectum actus interioris est ipsemet actus exterior; ergo ipse est causa et finis

sui, et ipse sibi confert circumstantiam et bonitatem accidentalem, quia est finis sui imperans sibi non specificans, quo nihil implicatius dari potest.

XXXIII. Respondetur ad primam partem argumenti non esse novum, quod finis in intentione, et objective sumptus sit causa suimet in executione, quia licet sit idem ex parte objecti, est tamen diversitas ex parte actuum, et sub diverso statu sumitur in intentione, et executione: nam ipse actus intentionis, qui apprehendit, et movet ad executionem diversus est ab ipso actu executionis, qui est ejus objectum. Et nihil repugnat quod aliquis actus causet objectum suum, ut in omnibus actionibus transeuntibus patet, et idem apparet in immanentibus imperantibus, et dirigentibus quæ virtualiter transeunt sunt, imperant enim actus exteriores, quos pro objecto habent. Ad secundam partem dicimus, quod in casu quo actus interior habet pro fine actum exteriorem, non habet actus exterior finem aliquem pro circumstantia, quia ipsemet est finis non relatus ad alium extrinsecum finem: sicut qui vult dare eleemosynam propter ipsam misericordiam, servare castitatem propter ipsum decorem talis virtutis: vel e contra qui vult luxuriari propter ipsam luxuriæ delectationem, aut furari propter possessionem pecuniæ, tunc isti actus non habent finem extrinsecum, sed intrinsecum, et sic finem habent (quia humani actus sunt) sed non pro circumstantia, sed pro objecto, et substantia.

COROLLARIA EX DICTIS.

XXXIV. Ex dictis colligitur rejiciendam esse sententiam Vazquez

quæ in illa doctrina fundatur, quod actus bonus requirit non solum quod sit circa bonum, sed propter bonum, et ideo non invenitur nisi in actu interiori qui est circa finem, et operatur propter bonum. Hæc sententia in magna æquivocatione, et hallucinatione procedit. Et expresse est contra D. Thomam in hac quæstione xx, art. 1 ad tertium, ubi inquit: « Quod voluntarium dicitur non solum actus voluntatis, sed etiam actus exteriores prout a voluntate procedunt, et ratione, et ideo circa utrosque actus potest esse differentia boni et mali. » Et articulo primo inquit: « Quod bonitas, vel malitia quam habet actus exterior secundum se propter debitam materiam non derivatur a voluntate, etc. » Ubi pari modo loquitur de bonitate, et malitia in actu exteriori. Procedit autem hæc sententia ex æquivocatione. Nam verum est, quod actus bonus, et virtutis debet esse non solum de bono, sed etiam propter bonum, sed non requiritur quod sit propter ipsummet bonum intrinsecum, sed potest esse propter aliud bonum, et sic licet actus interior sit circa bonum finem, et actus exterior sit circa bonum objectum, tamen sufficit quod hoc bonum objectum velit propter aliud bonum finem, et non requiritur quod velit propter ipsummet objectum.

XXXV. Et ratio est manifesta, quia virtus est habitus electivus, et ejus proprius actus est electio, et hæc versatur circa media, et medium respicit alium finem, non seipsum habet pro fine; ergo bene stat quod aliquid actus sit bonus, et virtutis licet non sit propter ipsummet objectum actus, sed propter alium finem bonum intentum, ex quo movetur ad electionem rectam illius medi. Et quando philosophus dicit quod non sufficit ad opus virtu-

tis, verbi gratia justitiæ, quod aliquis operetur justum, sed juste, seu propter ipsum, verissime dicit; sed propter ipsum justum operatur, qui propter finem bonum quemcumque operatur, nec enim dixit philosophus quod ut aliquis sit justus requiritur quod propter ipsam justitiam specialem operetur, alias qui justitiam operaretur propter religionem, vel charitatem non faceret actum virtutis, quia non faceret propter ipsammet justitiam, ut virtus particularis est, sed propter etiam virtutem. Sufficit ergo quod operetur justum juste, seu propter justitiam generaliter dictam, id est, propter aliquod bonum virtutis, et rectam intentionem quod totum justitiæ est, id est, justum et bonum. Cum ergo actus exterior seu imperatus possit esse justus, seu ex habitu justitiæ elicited, et propter finem bonum altiore, id est, propter charitatem, vel religionem, aut aliam similem virtutem, non est negandum quod actus exterior habeat etiam bonitatem suam propriam ex objecto, etiamsi non fiat propter illam specialem bonitatem ut finem, sed supponatur imperatus ab alio fine superiori etiam bono et justo. Plura contra hanc sententiam diximus supra disputatione præcedenti.

XXXVI. Secundo colligitur contra sententiam Scotistarum non recte dici, quod actus exterior formaliter habet bonitatem, vel malitiam in ordine ad objectum, materialiter autem, et participative habet moralitatem, seu imputabilitatem, quia habet libertatem a voluntate seu ab actu interiori. Nam recte hoc dicitur, quia moralitas ista etiam ut libera, et voluntaria non convenit actui imperato (qui est actus exterior) ex actu interiori imperante, sed ex potentia a qua elicitur, quæ in se formaliter est libera, vel liber-

tatem participat, ut voluntas ipsa etiam in actibus imperatis, verbi gratia in electionibus formaliter, et intrinsece est libera, et appetitus sensitivus etiam libertatem participat, et intrinsece eam habet ex conjunctione ad animam rationalem, quia non despotice, sed politice obedit voluntati. Potentiæ autem membrorum exteriorum, quæ intrinsece non habent libertatem, sed mere denominative, quia a voluntate imperantur, etiam non habent formaliter intrinsece bonitatem, vel malitiam, id est, ex ordine, et respectu intrinseco ad objectum, sed ex denominatione extrinseca a bono, vel malo actu voluntatis, a quo imperantur.

XXXVII. Itaque bonitas, et malitia in actibus pari passu currunt cum moralitate ut libera, et imputabili, ita quod actiones, quæ intrinsece, et formaliter sunt liberæ, etiam intrinsece, et formaliter sunt bonæ, vel malæ. Quæ vero per extrinsecam denominationem tantum sunt liberæ, etiam per extrinsecam denominationem sunt bonæ, vel malæ moraliter. Ex hoc ideo, quia bonitas, vel malitia moralis est regulatio regulæ rationis, quæ solum cadit super actus quatenus voluntarii sunt, et liberi, et ideo non regulantur a ratione actus externi secundum ordinem quem dicunt entitative, et intrinsece ad objectum, nisi in ipso actu, et ordine supponatur ratio voluntarii, et liberi, alias quid regularet in illo ratio si solum est regula actus voluntarii in quantum voluntarium est? Si ergo in actu externo ratio voluntarii, et liberi solum est denominatio extrinseca; ergo non imbibitur, neque includitur in ipso intrinseco respectu, et ordine talis actus ad suum objectum, et ad suum principium; ergo quando ipsa regulatio bonitatis, vel malitiæ advenit tali

actui, non advenit, neque imbibitur in ipso intrinseco respectu in quo non invenit suum proprium regulabile, quod est voluntarium ut voluntarium, sed cadit super id quod extrinseca denominatio in tali actu est; ergo non potest ei intrinsece convenire bonitas, vel malitia, quia si intrinsece convenit solum potest convenire mediante respectu, et ordine ad suum objectum, vel principium, qui solum intrinsece ipsi actui convenit. In cujus signum non solum actus externus mutari potest de libero in non liberum sine aliqua sui mutatione intrinseca, sed etiam potest eodem modo mutari de bono in malum sine intrinseca mutatione, ut comedere carnes die Jovis si continuetur post mediam noctem, ille actus redditur malus sine mutatione intrinseca.

XXXVIII. Nec potest dici actum dici bonum, vel malum non per respectum ad objectum consonum, vel dissonum, nec per respectum ad actum interiorum a quo procedit, sed per relationem conformitatis ad naturam rationalem, vel privationem talis relationis. Nam contra hoc est id quod supra disputatione octava ostendimus, moralitatem in actibus, primo et directe desumi per ordinem ad objectum conforme, vel difforme rationi, idque etiam inveniri in actibus peccaminosis. Et constat quod respectus ad naturam rationalem non potest constituere directe actum bonum, vel malum, nisi quatenus ipsi naturæ est debitum, et conforme in suis operationibus voluntariis regulari ratione, et sic oportet talibus operationibus voluntariis regulam imponi rationis, cui conformetur actus ille, nec potest nisi mediante objecto a tali operatione attacto regulatio ista attingi ab actu, et convenire illi. Nam ipsa natura considerata, ut est principium radicale operationum, et ut

distinguitur ab operatione, et ab ejus objecto non potest esse regula, cui directe, et immediate conformetur, vel difformetur operatio, quia ipsa natura sic considerata solum est principium elicitive efficienter talis actus voluntarii, non vero est regula qua reguletur formaliter ipse actus, quia natura ipsa indiget regula legis qua reguletur; secundum se enim natura, et potentiæ ejus non sunt lex, sed subjecta legi, et susceptibilis regulationis ejus, de se autem solum est indifferens, sicut et potentiæ ejus ad bonum, et malum. Quod autem se habet ut regula non potest sic indifferens esse, quia potius regula debet determinare ad rectum, non vero defectibilis esse a recto. Et licet natura ipsa quatenus rationalis inclinet ad bonum, et non ad malum, tamen hæc inclinatio defectibilis est, et obliquari potest, regula autem non potest obliquari, sic enim desinit esse regula. Imo hoc ipso quod natura solum se habet ad rectum, et bonum per modum inclinationis non potest esse regula ipsius recti ad quod inclinat, quia si est inclinatio ad rectum per modum actus primi, quia est ipsa natura, quæ est actus primus, supponitur solum esse rectam in potentia, et deesse illi rectum in actu. Regula autem per quam rectificentur actus non debet esse recta in potentia, sed in actu, alias esset regula in potentia, nec tenderet ad rectum, sed haberet actu rectitudinem. Si autem natura ipsa rationalis non est regula, sed regulabilis per legem, et lex immediate regulat id quod præcipit, præcipit autem operationes, et actus circa determinata objecta, et ratione ipsorum objectorum: ergo regulatio actuum per relationem, et conformitatem ad legem, quatenus regulat in objectis desumi debet directe, et per se, non in ordine

ad naturam rationalem, ut natura est.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXIX. Primo arguitur ad probandum in actu exteriori esse bonitatem, et malitiam formaliter, et prius quam in actu voluntatis interiori. Nam illi actui per se primo convenit malitia, qui per se primo prohibetur a lege, si quidem ex ordine ad legem ut ad regulam sumitur ratio mali vel boni, id autem quod per se primo prohibetur, vel præcipitur a lege est actus externus, ut non furari, non occidere, non mœchari, etc. ergo illi actui exteriori per se primo competit malitia, non vero actui voluntatis interiori, licet hic requiratur ad quamdam conditionem moralis actus, nempe ut sit liber, aut voluntarius, non autem ut sit malus, vel bonus, nec enim ex eo furtum, vel adulterium est malum, quia velle furtum est malum, sed potius e contra, ideo velle furari est malum, quia furtum in se malum est, et prohibitum; ergo malitia, et bonitas absolute loquendo per se, et primo invenitur in actu externo, inde vero derivatur ad actum internum non e contra.

XL. Confirmatur, quia in actibus externis non est malitia objective; ergo formaliter. Consequentia patet, quia malitia non invenitur nisi in objecto malo, vel in actu tendente ad illud, et in primo invenitur objective, in secundo formaliter. Antecedens probatur, quia si in actu externo non inveniretur malitia nisi objective, non aliter inveniretur malitia in actu fornicationis, quam in ipsa muliere, quæ est materia, et objectum ejus: nec aliter inveniretur malitia in potatione, quam in vino, quia omnia ista se habent ut

objectum, et materia malitiæ voluntatis. Nec dici potest, quo in istis actibus invenitur malitia, aut bonitas solum extrinsece in quantum sunt effectus actus boni, vel mali voluntatis. Contra enim est, quia alias non esset magis malus actus furandi proveniens a mala voluntate furandi, quam actus indifferens proveniens ab eodem malo fine, et intentione mala, quod est absurdum. Sequela probatur, quia in utroque actu dicitur esse malitia extrinsece quatenus sunt effectus voluntatis malæ interioris, sed tam actus indifferens, quam actus furti proveniunt a voluntate furti, ergo uterque erit æque malus. Ne ergo deveniamus in hoc absurdum dicendum est, quod actus externus formaliter, et intrinsece malus est.

XLI. Respondetur in primis multos actus dari interiores a lege divina præceptos ut credere, sperare, diligere, pœnitere, et alios prohibitos, ut non concupiscere rem alienam, vel uxorem, etc. licet per legem humanam actus mere interiores non præcipiantur. Loquendo vero de actibus externis primo, et per se prohibitis a Deo, ut non furari, non occidere, etc. respondemus ad argumentum distinguendo majorem; illi actui convenit per se primo malitia, qui est per se primo prohibitus, distinguo; convenit illi per se primo formaliter, nego; convenit illi per se primo objective, transeat. Lex enim directe prohibet objectum actus voluntarii, vel præcipit, et sic prohibet executionem externam actus in quantum voluntarie faciendam, ita quod executio externa est objectum, et voluntarie facere est formale in tali executione, et sic actio externa ut præcise externa est objectum, et indifferenter se habet ut bene, vel male fiat, quantum est ex se autem voluntarie, et libere exercetur est id quod formaliter pro-

hibetur, quia solum voluntarium, ut voluntarium est, est regulabile formaliter a regulis rationis, id est, a lege prohibente, vel præcipiente. Sub ratione autem voluntarii exercitii non solum comprehenditur voluntarium, et liberum externum, et prout competit actui externo, sed multo magis interno a quo dimanat illa libertas extrinsece denominans actum externum, imo internum voluntarium prohibetur, seu attingitur a prohibitione legis formaliter, et principaliter, quia formaliter illi convenit tendere in objectum bonum, vel malum in quantum tale, quia formalis malitia, vel bonitas est illud quo formaliter operans redditur bonus, vel malus; certum est autem, operatione reddi bonum, vel malum formaliter, et tanto formaliter, quanto illa operatio in se formaliter voluntaria, et rationalis est; hoc autem magis, et principaliter invenitur in actu interno elicito a voluntate, quam in externo pure exequente, cum voluntas sit formaliter, et principaliter libera; ergo tanto formaliter participat ipsam legem, quanto formaliter actus est voluntarius, et liber. Et sic licet lex directe prohibeat actum externum ut furari, fornicari, etc. tamen quia in hac re prohibita respicit duo, scilicet et executionem ipsam quatenus externa est, et externe se explicat, et quatenus voluntaria, et ab intra procedens, esse externam pertinet ad objectum prohibitum, et malum objectum, esse autem voluntariam, ad formale malum, seu ad id quo formaliter operans redditur malus, et ita ratio voluntarii per se primo attingitur a prohibitione, et regulatione legis ut formaliter malum, executio autem externa ut objective malum, licet ipsamet executio ut etiam participans libertatem extrinsece, et denominative etiam habeat esse formaliter mala extrinsece, et

denominative. Actus autem elicitus a voluntate, vel appetitu, qui intrinsece sunt liberi, et formaliter, licet sint imperati, et in hoc sensu exteriores, etiam formaliter, et intrinsece malitiam, vel bonitatem participant a suo objecto, et circumstantiis ut dictum est. Unde non dicitur furtum malum, quia velle furari malum est, distinguo; non dicitur furtum malum objective, quia velle furari est malum, sed e contra, verum est; formaliter autem ideo furtum ut executum, et externum dicitur malum, quia voluntarium furti malum est.

XLII. Ad confirmationem respondetur in actibus externis ut voluntariis invenitur formaliter malitia eo modo quo fuerint voluntarii, et liberi, scilicet per denominationem extrinsecam, si fuerint actus mere externi, et a facultate organi producti, vel per intrinsecum ordinem, et respectum, si fuerint actus potentiæ participantis libertatem intrinsece. In omnibus ergo operationibus, quæ peccati denominationem suscipiunt aliquid rationis voluntariæ, et liberæ potest, et debet inveniri. Et in hoc distinguitur actio etiam externa peccaminosa a materia circa quam versatur, verbi gratia, mœchari, quæ est operatio distincta a muliere, circa quam peccatur, potatio a vino, furtum a pecunia; quod pecunia, vinum, mulier, etc. non sunt operationes, sed res, seu materia circa quam, et ideo non participant malitiam, vel bonitatem formaliter, etiam denominative, sed mere materialiter, et objective. Operationes autem externæ et sunt objectum actus voluntatis, et possunt esse effectus, seu operationes a voluntate procedentes, quia imperatæ. Et pro ea parte, qua sunt objectum, solum habent bonitatem, vel malitiam objective, idque per prius quam in actu voluntatis, quia